



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio II. Vtrum privationes & denominationes extrinsecæ sint entia
rationis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

QVÆSTIO II.

Virum priuationes & denominationes extrinsecæ sint entia rationis?

SECTIO I.

Sententia Aduersariorum proponuntur.

- 1 **P**RIMA sententia est Thomistarum, asserentium denominationes extrinsecas, siue in concreto, siue in abstracto esse entia rationis; & probatur sic:
 - 2 Primo, quia ens rationis non habet aliud esse, quam esse cognitum; siquidem, tunc solum est cum cognoscitur: sed esse cognitum est denominatio extrinseca; ergo denominatio extrinseca est ens rationis.
 - 3 Confirmatur; quia naturam aliquam esse genus, vel speciem, aut prædicari, vel subijci, vel referri ad multa nihil aliud est nisi ab intellectu cognoscibili modo, cum istas proprietates non habeat nisi ab intellectu, simili ratione esse hircocerum, nihil aliud est quam esse talem de eo cognitionem in intellectu; ergo.
 - 4 Secundo, quia denominatio extrinseca, nec est modus, nec substantia, nec accidens reale; ergo non est ens reale; quia illa est adæquata diuisione entis realis, sed sic est quod non est purum nihil, ergo ens, & aliquid rationis, quia si est ens, & non reale, necessario est ens rationis; maior quod non sit modus conceditur ab aduersariis, quia modus identificatur realiter cum re quod minimè habet ens rationis; quod non sit substantia patet; quia substantia realis est per se realiter, & existit per se, sed denominatio extrinseca non existit & subsistit per se; ergo non est substantia realis; quod non sit accidens patet; quia accidens inhaeret rei quam denominat, sed denominatio extrinseca non inhaeret in re denominata; alias non accidens, seu denominatio extrinseca, sed intrinseca esset; ergo non est accidens reale.
 - 5 Confirmatur; quia esse dexterum, & esse visum in pariete est aliquid in ipso pariete, cum verè denominetur talis; sed non est aliquid reale, vt ex dictis patet: ergo est ens rationis.
 - 6 Secunda sententia asserit omnes negationes, & priuationes, vt cæcitatem, & tenebras formaliter esse entia rationis propter esse diminutum quod habent, sic communiter Thomistæ vt Sonzinas 6. *Meth.* q. 18. Iabellus in *Meth.* q. 10. Sanctius q. 3. *proemiali.*
 - 7 Pater vero Fonseca lib. 5. *Meth.* c. 7. q. 6. sec. 5. & 15. q. 4. sec. 4. & 5. q. tota difficultas. Coniungit in *Logica* q. 6. in præfatione Porphyrii. art. 3. §. 3. denum sententia, distinguunt in negationibus, & priuationibus duplicem rationem, aliud est ipsa formalis relatio rationis, & existentia illius; aliud vero est actualis conuenientia; dicuntque relationem rationis, vel quodcumque ens rationis fundatū in priuatione, & negatione secundum suam actualem existentiam non esse in rebus ante operationem intellectus, esse tamen quantum ad actualem conuenientiam, vnde priuatio est à parte rei ens rationis quantum ad actualem conuenientiam.
- 8 Sententia Thomistarum sic probatur; quia

priuatio, & negatio non sunt entia realia; ergo sunt entia rationis; probatur antecedens, quia quod est priuatio, & negatio entis realis est exclusio entis realis; sed exclusio entis realis non potest esse ipsum ens reale exclusum, sicut priuatio, & exclusio visus non est visus; ergo.

Placitum Fonseca sic probat ipse primo, quod tunc in aliquo subiecto dantur omnia necessaria ad formam realem, & solum deest eius productio, talis forma debetur tali subiecto, & consequenter potest de illo verè prædicari; v. g. posita in corpore ea proportionem primarum qualium ex qua naturaliter resultat albedo, et hoc non relinquit, substrahente Deo concursum ad actionem, deberetur nihilominus subiecto, & quantum ad conuenientiam de eo verè affirmari posset; nam tunc albedo respectu subiecti non aliter se haberet, quam proprietates computatione subiecti naturalis; ergo similiter quodcumque in aliquo subiecto dantur omnia necessaria ad formam rationis, & solum deest consideratio actualis eius debetur talis forma rationis subiecto, & de illo enuntiarì poterit quantum ad actualem conuenientiam, & rebus in esse potest ante mentis operationem.

Secundò, relatio creatoris est relatio rationis; sed hæc conuenit Deo ante omnem mentis operationem, semel posita actione creandi; ergo relatio rationis quantum ad actualem conuenientiam rebus conuenire potest, ante omnem mentis operationem; maior est certissima, & ab omnibus de diuina immutabilitate sententibus rectè admitti debet; minor vero sic probatur; hæc prædicatio, Deus est creator, est prædicatio formalis; ergo sumitur à relatione saltem conueniente, alias prædicari non posset.

SECTIO II.

Nostra sententia proponitur.

Prima conclusio: nulla denominatio extrinseca à forma reali qua aliquid subiectum realiter denominatur est ens rationis formaliter, sic communiter omnes nostræ Societatis Doctores, vt videre est in P. Suariorum, & probatur.

Primo, illud est ens reale quod habet omnia constitutiva realia; sed ens extrinsecum, seu denominatum extrinsecè habet omnia constitutiva realia; ergo ens extrinsecum est ens reale; maior euidentius est, quia ideo homo, & Angelus sunt entia realia; quia habent omnia constitutiva realia, & ratio euidentius est, quia constitutum est eiusdem rationis in prædicatis transcendentalibus cum constitutiuis, præcipue cum illis, quæ sunt forma, materia, & vnio, cum illa simul non distinguantur à constituto, vt videre est in anima rationali, vnione, & materia respectu hominis minor in qua est tota difficultas sic probatur; illa sunt propriè constitutiva prout distinguuntur à causis alicuius, à quibus necessario, & essentialiter habet esse constitutum: sed omnia illa à liter habet esse constitutum, & essentialiter habet esse quibus necessario, & essentialiter habet esse ens extrinsecum sunt realia; ergo omnia constitutiva illius; maior euidentius est; quia constitutiva hominis in esse physico sunt forma rationalis, materia, & vnio, quia ab his necessario, & essentialiter habet esse homo; vnde in ente artificiali vt in vase aureo constitutiva propriè illius dicuntur,

Quæst. II. Vtrum priuat & denomin. &c. 9

dicuntur, & sunt aurum, & forma vasis, non vero artifex, qui dicitur causa intrinseca illius; minor sic probatur, illa sunt à quibus essentialiter, & necessario habet esse compositum quæ sunt partes necessariae, & essentielles illius; forma nimirum, materia, & vnio: sed in ente extrinseco, materia, forma, & vnio, quæ sunt partes necessariae, & essentielles illius sunt reales; ergo omnia à quibus &c. Probatur hæc minor; quia in pariete viso qui est extrinsecum forma extrinseca est viso qua videtur, & constituitur paries in esse visi, & est realis vt patet cum sit actus vitalis realis, & realiter videatur paries; materia illius est paries qui videtur, qui realis est vt de se patet; vnio etiam est realis, cum nihil aliud sit quam illa coaptatio seu terminatio visionis in obiectum quæ non solum realis est, sed etiam essentialis ipsi visioni, cum visio sit perceptio obiecti essentialiter, & totum esse perceptionis sit terminati ad obiectum.

13 Item terminatio passiva ex parte obiecti ad visionem etiam realis est, cum obiectum verè, & realiter terminet visionem per realem entitatem, quam habet; impossibile enim est, vt visio habeat pro termino, & terminetur realiter ad parietem visum, & paries non terminet visionem per realem entitatem; sicut impossibile est quod filius habeat realiter pro termino Patrem, & quod pater non sit terminus realis esse filij, vel quod non terminet relationem filij realiter, & quod detur actio realis in materia, & non detur realis passio, & quod creatio terminetur realiter producendo Angelum, & quod Angelus non producat realiter ab illa, seu terminet realiter illam; ergo in extrinseco ente omnia constitutiva essentialia, quæ sunt forma, materia, & vnio sunt realia; ergo etiam ipsum erit reale.

14 Confirmatur; illud quod identificatur adæquate cum ente extrinseco est reale; ergo ipsum erit reale; quia impossibile est, quod idem sit reale, & non reale, sed rationis adæquate; ideo enim in ente intrinseco est omne esse reale, quia identificatur adæquate cum partibus realibus simul sumptis; antecedens sic probatur, in omni composito omnes partes simul sumptæ identificantur cum illo adæquate; sed omnes partes entis extrinseci quod est compositum sunt reales simul sumptæ; ergo illud quod identificatur cum ente extrinseco adæquate est quid reale, scilicet materia, forma, & vnio simul sumptæ: maior evidens est in physicis, minor iam probata est in primo argumento, consequentia vera est.

15 Secundo probatur; illud quod habet existentiam realem est ens reale, sed ens extrinsecum habet existentiam realem; ergo est ens reale, maior est evidens; quia impossibile est quod aliquid habeat modum essendi realiter extra causas, vno modo, & alio modo habeat essentiam, sicut impossibile est, quod aliquid habeat existentiam quantitatis, & habeat essentiam qualitatis; quia vel essentia, & existentia identificantur, vel ad minus existentia in omnium sententia sequitur esse essentia: minor sic probatur, v. g. Angelus Gabriel comprehensus, & actu cognitus à Deo actualiter, non solum realiter existit ex parte sui præcisè, sed etiam quatenus comprehenditur, & actu comprehensus est à Deo existit; nam esse comprehensum non est de possibili sed actu, sed actu esse est habere existentiam, & hæc existentia est realis, nam exi-

stentia Angeli Gabrielis est realis secundum se, ipsa quatenus cognoscitur est realis, quia non est fictio intellectus dicere, quod Angelus actu cognoscatur à Deo, imo est articulus de fide, & veritas infallibilis; Item quod Deus comprehendat est reale actu; quia in Deo sua cognitio est summè actualis; sed entitas ipsius Gabrielis quatenus comprehensa est ens extrinsecum: ergo tale ens habet existentiam realem; maior quoad secundam partem sic probatur, quia si Angelus vt comprehensus, & vt comprehenditur à Deo, non existeret etiam comprehensio ipsius Angeli à Deo; sicut si paries in quantum albus non existeret realiter intrinsecè, ipsa albedo non existeret realiter intrinsecè, à qua constituitur album; sicut qui comprehenditur in illo esse extrinseco constituitur à comprehensione, sed comprehensio Angeli existit realiter, cum de fide constet existere scientiam Dei à qua comprehenditur, quæ est comprehensio illius: minor sic probatur, quia nihil aliud est ens extrinsecum, quam illud quod denominatur, & constituitur à forma extrinseca: sed Gabriel in esse comprehensi denominatur, & constituitur à comprehensione, quæ est extrinseca forma, cum non sit in ipso sed in Deo; ergo Gabriel quatenus comprehenditur est ens extrinsecum; ergo.

Item, quia omnia constitutiva essentialia entis, & extrinseci existunt realiter: sed quando talia constitutiva realiter existunt, existit etiam constitutum per illa; ergo ens extrinsecum quod est constitutum per illa existit realiter sine dubio; maior supra probata est, quia constitutiva parietis visi, vel Angeli comprehensi sunt &c. comprehensio Dei, quæ existit realiter, & entitas Angeli: sed totum hoc existit realiter; ergo omnia constitutiva entis extrinseci existunt realiter; minor est evidens, quia existentia omnium constitutiuorum simul est idem cum existentia constituti, cum totum non distinguatur ab omnibus suis partibus simul sumptis, & vnitis.

Vrgetur, in hoc concreto Deus creans, huic concreto conuenit conceptus existentis à parte rei ante omnem operationem intellectus: sed hoc concretum est extrinsecum; ergo denominationi extrinsecæ conuenit conceptus rei existentis; probatur maior conceptus qui conuenit omnibus partibus alicuius concreti conuenit ipsi concreto; sed omnibus partibus illius concreti conuenit conceptus existentis à parte rei; ergo ipsi concreto. Maior est certa, quia ideo conuenit homini conceptus substantiæ, quia omnibus illius partibus conuenit talis conceptus; & ratio est, quia concretum vel compositum non habet aliud esse ab eo quod habent omnes partes illius; minor probatur, partes illius concreti seu compositi sunt Deus, & creatio: sed his omnibus partibus conuenit conceptus existentis à parte rei; ergo ipsi composito, seu concreto; minor probatur, & imprimis Deo conuenit conceptus existentis à parte rei; deinde etiam conuenit creationi; ergo &c. Antecedens probatur. Quantum ad secundam partem (licet sit etiam certa, & indubitata) quia ante quamcumque operationem intellectus Deus creauit cælum; ergo ante quamcumque operationem intellectus erat creatio; patet consequentia, implicat Deum creare quin detur creatio, sed ante quamcumque operationem intellectus Deus creauit cælum; ergo fuit creatio.

Dices Deum non denominari creantem per creationem

creationem formaliter: sed fundamentaliter tantum, formaliter autem per ens rationis quod finit intellectus humanus.

- 19 Sed contra primo: ergo Deus realiter, & à parte rei est fundamentaliter proximè creans: ergo constituitur in esse fundamentaliter creantis proximè per aliquam formam; sicut Petrus constituitur in ratione fundamentaliter similis proximè per albedinem: sed non est alia forma per quam Deus constituitur actu in ratione fundamentaliter creantis proximè nisi ipsa actio creatiua: ergo per illam Deus constituitur in esse talis: ergo per illam denominatur fundamentaliter proximè creans: atqui illa denominatio fundamentaliter creati est realis denominatio respectu Dei: ergo vel extrinseca, vel intrinseca: sed non potest esse intrinseca, quia non prouenit ab aliquo intrinsecè existente in Deo, prouenit enim ab actione quæ est extrinseca Deo: ergo est denominatio extrinseca: sed illa denominatio fundamentaliter creantis non est ens rationis, quia prouenit ab aliqua forma reali: ergo non omnis denominatio extrinseca est ens rationis.

- 20 Contra secundo; Deus dicitur formaliter creans per actionem: ergo nulla est solutio, probatur antecedens, cælum est creatum, & productum à parte rei per illam actionem: sed omne creatum est ab alio creatum: ergo cælum est ab alio creatum: sed non est aliud nisi Deus: ergo Deus est creans cælum, quod autem sic formaliter creans à parte rei probatur; illa forma constituit aliquid formaliter, & non fundamentaliter quæ in illo genere est vltima, & non est fundamentum alterius in illo genere: sed creatio est vltima forma à parte rei constituens Deum in ratione creantis realiter, & non est fundamentum alterius formæ in illo genere reali: ergo constituit Deum formaliter creantem; maior est certa, nam ideo albedo constituit formaliter album, quia in illa ratione est vltima forma, & ideo non constituit formaliter relatum, quia non est vltima forma in illo genere: sed est fundamentum alterius; minor probatur à parte rei non est talis alia forma per quam Deus constituitur formaliter creans: ergo creatio est vltima forma à parte rei: ergo à parte rei dicitur Deus formaliter creans per creationem; de hoc enim conereto quod datur à parte rei, & explicatur per hoc nomen Deus à parte rei creat Angelum, est quæstio præsens: sed respectu illius conereti à parte rei existentis est vltima forma creatio: ergo &c.

- 21 Dices in his formis esse verum in cognitione autem esse falsum.

- 22 Sed contra, & imprimis hoc discrimen est voluntariè inventum ad illudendam vim argumenti; contra secundo, ideo denominatio creantis in Deo est realis quia prouenit à forma reali: sed denominatio cogniti prouenit à forma reali: ergo est denominatio realis; maior est certissima, minor probatur; denominatio cogniti prouenit à cognitione formaliter: sed cognitio est forma realis: ergo denominatio cogniti prouenit ab aliqua forma reali; probatur maior; cognitio formaliter in esse cognitionis est representatio alius obiecti: ergo illud obiectum est representatum: ergo cognitum; patet consequentia, obiectum esse cognitum nil est aliud quam esse representatum; sed obiectum illud est representatum per cognitionem: ergo est cognitum per illam.

Dices cum Fonseca lib. 5. Meth. cap. 15. q. 23. & sect. ... Possit ens rationis actu conuenire alicui subiecto, v. g. relationem rationis in Deo, & cogniti in obiecto, etiam si actu non existat suo modo, id est obiectiue in intellectu; atque hoc satis esse ut ens rationis denominetur actu; quod autem hæc duo sint separabilia probatur, quia Antichristo conuenit esse animal etiam si non existat, & hoc vocat Fonseca dari ens rationis quantum ad conuenientiam.

Sed solutionem hanc optimè rejicit eximius noster Doctor, 2. tomo. Meth. disp. 47. sec. 16. n. 11. Primo, quia prædicata contingentia non conueniunt subiectis, neque illa denominant nisi actu existant: sed ens rationis est prædicatum contingens ut ipse Fonseca fatetur: ergo non conuenit Deo nisi actu existat.

Secundo illa prædicata dicuntur actu conuenire alicui subiecto, quæ vel sunt essentia illius, vel proprietates habentes necessariam connexionem cum illo: sed istæ relationes rationis neque sunt essentia entis realis, neque proprietates habentes necessariam connexionem cum entibus realibus: ergo illis non conueniunt si actu non existunt; maior est certa ipso exemplo adducto à Patre Fonseca; nam ideo de Antichristo, licet non existat potest prædicari animal rationale quia est essentia illius; & etiam potest prædicari visibilitas quia est proprietas illius habens necessariam connexionem cum essentia illius; minor probatur, illud ens rationis dependet ab intellectu humano liberè fabricante, & fingente illam relationem; ergo neque est essentia entis realis, neque proprietates habentes necessariam connexionem cum illo; ergo non potest prædicari de illo, nisi actu existat.

Tertio, quia intellectio realis eadem quæ dat esse intrinsecum reale intelligenti, dat esse extrinsecum intellecto obiecto: sed impossibile est quod esse intelligentis intrinsecum non sit reale, & tota ratio est quia forma à qua constituitur illud principium intelligens reale est realis; ergo impossibile est quod esse extrinsecum intellecti obiecti non sit reale, cum eadem forma sit respectu huius, ac illius; nam ubi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis, sed ex eo præcisè quod intellectio est realis respectu intelligentis realis, totum concretum resultans necessario est reale; ergo si intellectio quæ constituit obiectum intellectum reale est realis, & etiam totum concretum resultans ex intellectione, & obiecto erit reale.

Explicatur, per cognitionem potentia cognoscit; ergo per eandem formalitatem cognitionis aliquod obiectum videt, & cognoscit, nam si per eandem formalitatem cognitionis nihil cognoscit; ergo per eam non cognoscit, quia cognitio non attingit nisi cognoscibile, cognoscit ergo per illam formalitatem; ergo per illam aliquid cognoscitur; patet consequentia quia non potest potentia per aliquam formalitatem cognoscere aliquid, quin aliquid per eandem formalitatem cognoscatur; nam qui cognoscit animalitatem cognoscitur; nam qui cognoscit aliquid per illam formalitatem attingit extrinsecè, quid per illam formalitatem attingit intrinsecè, & denominat obiectum, quia per illam formalitatem tendit in illud tendentia extrinseca; & sicut vnio intrinseca formæ realis constituit intrinsecè ens reale intrinsecum, sic etiam realis tendentia extrinseca obiecto reali constituit ens extrinsecum.

Quaest. II. Vtrum priuat. & denomin. &c. 11

cum reale ex tendentia, & forma tendente, & obiecto, & sic denominatum erit reale.

28 Dices hoc ipso quod est sola denominatio, non potest esse plus quam ens rationis, nam denominatio est opus rationis.

29 Contra, nam si per denominationem quis intelligat impositionem nominis, ut optime aduertit Pater Suarez, denominatio est opus rationis; sed nunc non agimus de impositione nominum; hoc etiam modo denominatio intrinseca quantum ad impositionem nominis denominationi est opus rationis; sed in designatione rerum vniuersibus, aut habitudinibus; in quibus talia denominatiua nomina fundantur, quae non sunt opera rationis, sed in designatione intrinseca est realis unio, vel identitas aut aliquid simile, in designatione autem extrinseca, quae ex rebus ipsis sumitur est habitudo realis vnius rei ad aliam; ex qua provenit ut illa res ad quam est habitudo denominatur per modum termini alterius habitudinis; & ut clarius procedamus, & sine ambiguitate data opera non denominationem extrinsecam; sed ens extrinsecum, & constitutum extrinsece appello, quo tollitur omnis funditusque eueritur elusio aduersariorum. Ad quod aduerte tunc denominationes extrinsecas esse reales quando cognoscuntur ut sunt; videlicet, cum intellectus cognoscit visionem, amorem, vel intellectionem intrinsece esse in oculo, in voluntate, & in intellectu, extrinsece vero terminari ad obiecta; ex qua determinatione obiecta denominantur visa, volita, & intellecta; nam omnia illa reuera ita sunt ut cognoscuntur, scilicet res designata, forma denominans, & illa qualiscumque unio complens denominationem, sunt vero entia rationis, cum res in quibus est visio, volitio, & intellectio concipiuntur ut relatae & ordinatae per aliquem respectum ad potentiam visivam, volitivam, & intellectivam.

30 Et licet verum sit hoc totum, & lumine naturali notum, si non obtenebretur intellectus, nihilominus non potest dubitari, quin aliqua denominatio extrinseca sit ens rationis, illa nimirum quae est forma rationis, nam esse dexterum respectu chimerae, esse visum a traselaso vel hircoseruo, denominatio extrinseca subiectibilitatis in specie respectu generis, & alia id genus sunt necessario entia rationis cum forma a qua denominatur sit ens rationis, v. g. visio, dexteritas, traselasi, & chimerae, ut subiectibilitas speciei, & ideo diximus denominationem extrinsecam a forma reali in subiecto reali esse ens reale, & non rationis.

31 Vltimo sic vrgo, quia amor v. g. constituit obiectum dilectum, & amatum, sed non constituit fictitum tale, sed realiter & a parte rei; ergo ens extrinsecum v. g. amatum, non est ens rationis sed reale; maior est de fide, nam in *libris Sapientiae* dicitur, *dilectus Deo, & hominibus, cuius memoria in benedictione est*; & Ioannes passus ait: *Discipulus ille quem diligebat IESVS*, id est, amatus, & dilectus a Iesv; sed hic articulus de fide non est in aliqua fictionem, sed maximam & realem veritatem, & realiter, & a parte rei tale obiectum esse amatum; fides enim uti diuino testimonio, & reuerentia in utrens sine fictione, imo cum maxima veritate procedit; ergo amor, & dilectio realiter constituit obiectum; Quod clarius patet, quia haec eo insti-

I. P. Tom. II.

tutio non est in genere causae efficientis, ita ut sic producendo aliquid extra se, sed potius est in genere causae formalis: ergo si amor constituit, est per suam ipsam entitatem essentialiter per ordinem transcendentalem qui est essentia, & natura talis amoris: sed talis natura non est ens rationis sed reale, & non fictitum, & per rationem tendit in illud obiectum, sed realiter: ergo amor realiter constituit obiectum amatum; quod autem amor & dilectio constituent obiectum patet, obiectum amatum ab aliqua forma debet in suo esse constitui, sed non est alia forma, quia 1. non est propria entitas obiecti; alias de se non posset non amari Petrus quod est falsum, nam dum peccator est, licet habeat propriam entitatem non est dilectus: 2. non est alia extrinseca forma praeter dilectionem, & amorem; unde sicut visio constituit visum, & intellectio intellectum, ita amor, & dilectio constituent amatum, & dilectum, & ratio euidens a priori est; quia sicut intrinseca coaptatio formae realis intrinsece, & realiter constituit subiectum cui coaptat; ita etiam extrinseca coaptatio seu ordo, & habitudo realis ad subiectum sufficit ut realiter constituat extrinsece in suo esse, & sic amor, & dilectio per habitudinem essentialem, & tendentiam essentialem quam dicunt ad sua obiecta extrinsece constituent illa in esse amati, & dilecti: sed amatum, & dilectum est ens extrinsecum: ergo ens extrinsecum a parte rei sine fictione est, habet essentiam, & existit; sed quod eo modo existit, & est non est ens rationis formaliter, sed potius formaliter est ens reale: ergo ens extrinsecum, siue denominatio extrinseca non est ens rationis formaliter, sed potius est ens reale.

Ratio autem a priori horum omnium est, quia ut denominet forma ut sic denominatione sibi proportionata, & eiusdem ordinis cum tali forma, solum indiget unione ad subiectum, & subiecto capaci talis denominationis, sed dum forma extrinseca, respectu obiecti intrinsece existit actu in potentia v. g. intellectio sicut habet unionem intrinsecam in tali potentia habet unionem extrinsecam respectu obiecti, quod est subiectum capax denominationis a forma: ergo forma extrinseca realis ut intellectio v. g. dum actu datur in potentia denominat obiectum denominatione sibi proportionata & eiusdem ordinis cum tali forma: sed denominatio proportionata formae extrinsecae reali est denominatio extrinsecae realis, sicut denominatio proportionata formae intrinsecae reali, & denominatio intrinsecae realis a paritate rationis; praecipue quia non est maior ratio vnius quam alterius. Nam illa est denominatio proportionata alicui formae in qua relucent omnes formalitates repertae in forma, quia denominatio formae aut non distinguitur ab illa, aut est omnino similis illi; nam si formaliter sumitur est solum nomen aut propositio vera, & haec debet significare rem eo modo quo est, quia ex eo quod res est vel non est, propositio dicitur vera vel falsa; ita ut significet omnes formalitates repertas in denominato, assimilando se omnino, & habendo intentionaliter formalitates repertas in forma vnita subiecto, quod nihil aliud est quam significare illas; si autem sumatur obiectiue denominatio est idem quod forma vnita subiecto, aut totum resultans ex illis, ac proinde habet eadem formalitates omnes, quae dantur

b. 2 in

in forma denominante, sed in forma denominante datur formalitas extrinseca, & realis: ergo denominatio à tali forma est extrinseca realis.

- 33 Maior illa prima est evidens, quia forma, unio formæ, & subiectum capax talis formæ, & unionis ad illam est totum effectum formale eiusdem ordinis, & rationis cum forma; nam totum nihil addit supra materiam, formam, & unionem, eo quod nullo modo distinguatur ab illis, sed potius sit idem omnino cum illis, ut latissime demonstratur in Physicis contra Scotum, & ipsi Thomistæ, cum quibus nunc pugnamus concedunt, quod statim ac datur effectus formalis formæ, datur denominatio in subiecto capaci illius: ergo ut forma denominet denominatione sibi proportionata, non indiget nisi unione, & subiecto capaci talis denominationis, impossibile enim est, ut forma tribuat effectum formale, & constituat totum concretum, & quod non tribuat denominationem, quæ sit eiusdem rationis cum tali forma.

- 34 Minor illa in qua est difficultas sic demonstratur. Quia forma illa extrinseca habet habitudinem, representationem, & terminationem, extrinsecam, actualem, realem respectu obiecti per quam attingit extrinsecè intentionaliter obiectum coniungendo se cum illo, & connectendo se intentionaliter cum ipso: sed habitudo actualis extrinseca, & actualis representatio per quam attingitur obiectum, & per quam potentia connectitur, & coniungitur cum illo, seu vnitur extrinsecè ipsi est unio: ergo forma illa habet actualem unionem extrinsecam respectu obiecti.

- 35 Virgetur amplius, quia illa est unio per quam forma constituit concretum: sed cognitio per representationem actualem constituit hoc concretum representationem: ergo representatio est unio respectu obiecti; ac proinde in forma extrinseca reali datur unio respectu obiecti.

- 36 Præterea, quia cognitio realiter cognoscit obiectum, & realiter repræsentat illud, & non fictitiè, quia cognoscere, & repræsentare obiectum in cognitione est idem quod ipsa cognitio, quæ realis est: ergo obiectum realiter repræsentatur à cognitione, & realiter repræsentatum est ab illa; pater consequentia; quia voces activæ, & passivæ sunt synonymæ, & idem omnino significant: sed impossibile est quod unum synonymum sit reale, & alterum sit rationis; sicut v. g. si ensis est realis, gladius non potest esse ens rationis, sed realis debet esse: sed hæc propositio activa cogniti cognoscit obiectum realiter, habet pro obiecto ens reale: ergo hæc quæ est passiva illius, obiectum est cognitum, ab illa, debet habere obiectum reale, & non rationis, & sic est vera addita illa particula, realiter: sed obiectum cognitum realiter est concretum reale à forma extrinseca: ergo est effectus formalis realis formæ extrinsecæ; sed effectus formalis est denominatum extrinsecè realiter includens realem extrinsecam denominationem: ergo denominatio extrinseca à forma reali est realis, & non rationis.

- 37 Declaratur amplius; quia cognitio dicit essentialem ordinem, & habitudinem, tum ad obiectum, tum ad subiectum, seu potentiam in qua est, hoc tamen discrimine, quod habitudo ad potentiam intrinsecè attingit, & terminatur ad potentiam, & quia intrinsecè attingit intrinsecè

denominat, ita ut ratio intrinseca correspondeat in denominatione intrinseca attingentia cognitionis, ratio denominationis realis attingentia reali habitudinis cognitionis: ergo si forma extrinseca realiter extrinsecè attingit obiectum representando illud per habitudinem realem ad ipsum, denominabit extrinsecè realiter obiectum; ita ut extrinseca attingentia habitudinis illius correspondeat in denominatione extrinseca ratio, & habitudini reali illius formæ correspondeat ratio denominationis realis à potentia rationis inter utrumque denominationem; nam si eadem forma per se in entitate respicit intrinsecè unam rem & extrinsecè aliam; ergo per suam entitatem potest alteri communicare effectum formalem intrinsecum, & extrinsecum alteri: Probo consequentiam; quia ex parte formæ effectus formalis est ipsa forma; ergo ut eadem est intrinseca, & extrinseca, eadem præstabit effectum utrumque, in eo id præstabit multo melius quam ens rationis; hoc enim tam extrinsecum est obiecto quam visio, aliunde vero non habet ordinem transcendentelem ad obiectum, quia ens rationis nullius est ordo, quod si metaphoricè dicetur, ordo est per metaphoram, & æquivocationem; visio autem habet proprium ordinem ad obiectum.

SUBSECTIO III.

Secunda conclusio ponitur.

Negatio, & privatio formaliter non sunt entia rationis, & probatur, loquor enim de caritate, & de ceteris.

Primo, quia vel negatio, & privatio sunt formaliter entia rationis propter id quod tam datur à parte rei ante factum intellectus, vel propter id quod fingitur in eis ab intellectu per modum positum: sed nec propter primum, nec propter secundum, sunt illo modo entia rationis; ergo. Non propter primum, quia illud, quod earum datur in privationibus est earentia cum aptitudine in re ipsa natura, & à parte rei verè, sed quod datur, & reperitur verè, & realiter in re ipsa natura non est ens rationis: ergo maior sic patet, quia ex modo tum Philosophorum, tum Theologorum loquendi, illud quod verè, & realiter est suo modo, nullam habens dependentiam in se esse (eo modo quo est, sine privativè, sine negativè) à ratione, quatenus, verè & in re ipsa natura reperitur in eis ens rationis; sed privativæ, & negationes nullam habent dependentiam à ratione: ergo non sunt entia rationis; maior evidens est, ideo enim homo non est ens rationis, quia eo modo quo reperitur à parte rei nullam dependentiam habet à ratione; & ratio adæquate quare chimæra sit ens rationis est quia dependet essentialiter à cognitione fingente; & ratio quare caritas, & mors &c. sunt negationes rationis in chimæra, & negatio quam dicit deitatis tragelus, & universale negationem analogiæ, & individuationis, & alia id genus sunt entia rationis negativæ, quia in illo esse eo modo quo sunt, dependet à ratione, seu à cognitione fingente essentialiter; alias eis non conveniret definitio entis rationis, quæ petit ut ipsum habeant esse à ratione, seu

Quaest. II. Vtrum negationes & priuat. &c. 13

à cognitione obiectiue: sed si non haberent dependentiam à ratione, nullum esse haberent ab illa: ergo; nam creatura ideo habent esse à Deo, quia habent dependentiam ab illo in suo esse; minor sic probatur; quia si priuationes, & negationes haberent dependentiam à ratione non darentur ante ntionem rationis, vel sine fictione illius: sed negatio est ante fictionem intellectus, imo fuit ante productionem omnium intellectuum, & creaturarum intelligibilibus, vt ex scriptura constat, tenebrae erant super faciem abyssi, quae loquutionis de existentia illorum ante productionem hominum verae sunt: item datur mors; & caritas in oculis, quae sunt priuationes sine fictione aliqua, vel ante illam; alias omnes caeci facti essent tales; & omnes mortui non vere morerentur: ergo nullam habent dependentiam à ratione: cum illud quod est prius, minime dependeat ab illo quod est posterius: ergo nullam habent &c.

40 Item omne ens est tale ab esse quod habet, sed quod nullam habet dependentiam à ratione, nec à cognitione fingente in suo esse nihil habet in illa rationis: ergo priuationes, & negationes, quae nullam dependentiam habent à ratione, nec sunt, nec possunt denominari entia rationis.

41 Secundo, quia tripliciter solum potest aliquid esse ens rationis, vt bene adnotat Pater Franciscus Suarez cum comamuni D. D. Primum eo quod efficitur à ratione; id est, effectiue, vel in genere cause efficietis produciatur; vt sunt omnia artificata, & vocantur entia rationis, quia per rationem fiunt; aliud ens rationis est, quod subiectum est in ratione, & in intellectu, vt sunt veritas in intellectu, seu directio logicalis, & actus, & habitus in intellectu; tertio modo dicitur ens rationis, quia est obiectum rationis, & hoc si habuerit esse reale secundum quod rationi obijciatur lato modo, & improprie dicitur ens rationis; alias Deus, & Angelus essent ens rationis: sed ad hoc vt proprie sit ens rationis debet esse tale ens, quod non habeat esse, nisi à ratione; ita vt ante esse quod à ratione accipit, non habeat esse reale, secundum quod obijciatur rationi; sed priuationes, & negationes nullum hominum habent esse, quia nec produciuntur à ratione, nec subiectum sunt in illa: nec solum reperiuntur obiectiue in intellectu, cum ante omnem intellectum reperiuntur in rerum natura.

42 Secunda pars maioris primi, & praecipui syllogismi scilicet, quod priuatio, nec ratione illius quod fingitur &c. probatur. Nam illud quod additur, & fingitur à ratione in eis non est formaliter ipsa priuatio, & negatio quae sunt a parte rei; sed aliquid distinctum ab ipsis eiusque additum per rationem, sicut v. g. albedo, vel infirmitas, vel color tenebrarum, vel lucidus albidus realiter homini, non est homo, sed aliquid distinctum ab homine; & senectus, quae à nobis fingitur in Parte Aeterna, & relatio rationis quae fingitur in natura hominis non est Deus, nec natura humana; sed aliquid distinctum ab illis; negationes autem, & priuationes, quibus illud positum rationis fingitur sunt fundamentum à parte rei huius adiecti per rationem: sed fundamentum alicuius non est illud, quod fundatur in tali fundamento; v. g. carum non est nauis, fundamentum domus non est ipsa do-

mus: ergo priuatio, & negatio, quae sunt fundamenta entis rationis positiui; non sunt ens rationis formaliter; sicut nec Deus, & attributa sua sunt ens rationis, quia fundant relationes, & distinctiones rationis.

Item, quia aliquid dicitur tale per illud praedicatum a quo constituitur: sed priuationes, & negationes non constituuntur in suo esse formali priuationum per illud ens rationis fictum, & fundatum supra illas: ergo priuationes, & negationes non sunt ens rationis.

44 Respondet Fonseca, vt vidimus supra, negationem, & priuationem esse entia rationis quoad conuenientiam formaliter, &c.

Contra, quia de illo in quo non est conuenientia formae non potest praedicari illa: sed in priuatione, & negatione realiter non datur conuenientia entis rationis: ergo non praedicatur; maior euidenter est; minor sic probatur, quia quando aliqua forma non existit, nec potest existere in aliquo statu non datur conuenientia illius in illo statu, sed a parte rei non existit ens rationis, nec potest existere: ergo non datur conuenientia illius formaliter; maior sic probatur, quia ideo in homine posito in statu impossibilitatis non datur conuenientia doloris, aut morbi, quia dolor, & morbus nec existunt, nec possunt existere in illo statu; v. g. in statu beatorum; de illis enim non potest praedicari infirmitas, nec de homine in statu beatico potest praedicari peccatum; quia nec existit, nec potest existere in illo statu, & ratio est, quia illa conuenientia formae, nihil aliud est quam formam pertinere ad subiectum; sed talis forma non potest pertinere nisi in genere cause formalis, quia non potest pertinere, nisi eo modo, quo est; sed omnis ratio formae est dando se ipsam formam subiectum per exhibitionem sui ipsius, quod nihil aliud est, quam existere formam in subiecto: ergo si non datur talis conuenientia, quia non datur existentia formae rationis in subiecto illo priuationis de illa priuatione, non poterit esse, & praedicari tale ens rationis, seu forma ficta quoad conuenientiam.

46 Secundo principaliter argumentor. Quando aliqua forma nec ratione dispositionis, nec complementi subiecti est debita subiecto, nullo modo potest dici de subiecto antequam existat in illo: sed ens rationis est in iustiori forma respectu priuationis, & negationis: ergo nullo modo dicitur de illis antequam existat in illis. Maior sic probatur: ideo non dicitur homo praedestinatus antequam praedestinatio existat, nec beatitudo, quia sunt formae omnino indebitae, cum nec dentur ad complendam naturaliter, nec dentur propter aliquam dispositionem determinantem in illam; similiter creatio non potest attribui alicui, quia est indebita illi, cui vt creati creati conuenit, & non datur dispositio ex parte illius ad illam, quod e contra euenit in introductione formae ignis respectu dispositionis caloris determinantis ad illam. Minor sic probatur, quia ad ens rationis in priuatione, & negatione non datur dispositio, quia nec est aliquid reale, nec rationis illa dispositio, quae daretur; non ens reale, quia vel esset positium, vel negatum, non primum, quia in negatione, & priuatione totum, quod reperitur formaliter est carentia, cum in negatio non possit fundari positium, alias positium esset imper-

fectius negatio, à quo sustentaretur, & cui inniteretur ab ipsoque conservaretur.

47 Nec illa dispositio est negatiuum, quia si primum negatiuum non poterat per se disponere ens rationis, nec etiam secundum negatiuum, quia non est maior ratio vnius, quam alterius.

48 Nec est aliquid rationis illa dispositio, nam de dispositione ad illud ens rationis, quod est dispositio interrogabo quid sit, & sic procederet in infinitum, si diceretur quod est aliud ens rationis, & quod non praecedit ad illud ens rationis, aliud etiam posset dici de omni, & ratio evidens est, quia ad ens rationis non determinatur intellectus per aliquid ex parte subiecti, sed ex defectu cognitionis vel ex mera libertate fingentis illud; unde non est necessaria aliqua conditio, aut dispositio ex parte subiecti, supra quod fingimus ens rationis.

49 Nec est complementum, quia illud, quod est prius non potest compleri, nec constitui à posteriori, quod idem est, cum non possit dependere ab alio, ut commune proloquium docet, nec carentia, quae datur sine fictione potest compleri à positio rationis, nec quod est pura negatio, quia iam esset mixtum quid ex negatiuo reali, & positio rationis, quod est chymaera: sed negatio, & priuatio, quae dantur à parte rei, ut probauimus, sunt priores omni ente rationis: ergo non possunt compleri ab illo.

50 Confirmatur, praedicata contingentia, quae possunt abesse, & adesse praeter subiecti corruptionem non conueniunt actu subiectis, nisi actu existant, sed entia rationis v. g. relationes creatoris in Deo, & vniuersalitatis in natura humana sunt praedicata contingentia: ergo non conueniunt actu rebus, nisi actu existant; sed non existunt ante actualem mentis considerationem: ergo non conueniunt actu, ante actualem mentis considerationem.

51 Respondent aduersarij maiorem habere verum in relationibus, & aliis praedicatis realibus contingentibus, non vero in relationibus rationis, quae etsi ab extrinseco, & contingentem conueniunt, imitantur tamen praedicata, quae necessariam connexionem habent cum subiectis penes id quod sicut haec actu conueniunt propriis subiectis, etiam quando non existunt; ut animal homini, ita, & relationes rationis actu conueniunt suis subiectis ante existentiam obiectiuam.

52 Sed contra quia discrimen hoc inter praedicata realia contingentia, & praedicata contingentia rationis est voluntaria & libere inuenta sine fundamento, ut ait Suarez ad astringendum relationes omnes reales tam mutuas, quam non mutuas terminari ad respectuum, quod quam sit absurdum, ex terminis patet.

53 Deinde seclusa actuali existentia vnicuique praedicato proportionata nullum praedicatum dici potest actu conuenire subiecto, nisi vel quia est de eius essentia; vel certe, quia ab illa manat & necessariam connexionem, & per se cum illis habent; sed entia rationis sunt praedicata omnia contingentia, & extrinseca subiectis, & sunt extra eorum essentias, nec ab illis manant, nec necessariam connexionem, & per se cum illis habent: ergo seclusa actuali entium rationis existentia obiectiuam non possunt dici actu conuenire subiectis.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria solvuntur.

Ad primum primae sententiae respondetur 54 distinguendo esse cognitum, id est, fictum, & quasi productum à cognitione fingente concedo maiorem, esse cognitum, id est, denominatum à cognitione reali cognoscente rem ut à parte rei est, nego maiorem.

Ad minorem distinguo, esse cognitum primo modo, nego, secundo modo concedo, cum autem ens rationis non sit secundo modo cognitum; sed primo, potius est ens intrinsecum rationis, quam extrinsecum reale.

Ad confirmationem eodem modo respondetur, nam esse vniuersale, & esse speciem non est cognosci pure speculative, sed practice fingendo relationem transcendentalem intrinsecam in natura.

Ad secundum dicimus denominationem extrinsecam esse accedens extrinsecum, quare, quasi accedens dicitur, quia sicut accedens potest adesse, & abesse praeter subiecti corruptionem, ita & similiter denominatio extrinseca, cum hoc tamen discrimine, quod accedens absolute immutat realiter subiectum, quia cum per illud fiat realis, & intrinseca additio in subiecto, necesse est ut fiat per intrinsecam, & realem mutationem in illo, nec obstat dicere quod omne accedens inhaeret intrinsece in subiecto; nam falsum, quia aliquod accedens adhaeret, & tamen est verè accedens, ut vniuersitas &c. Nec valet si dicas esse modalia accidentia, quod non habet denominatio extrinseca, non enim valet; nam sicut ex eo quod est accedens modale sine inhaerentia intrinseca potest esse à parte rei sine fictione, ita etiam ex eo quod denominatio extrinseca sit accedens extrinsecum potest esse à parte rei sine eo quod inhaeret intrinsece in subiecto, quia sicut accedens modale propter suam imbecillitatem, & tenuitatem potest esse cum sola adhaerentia, ita denominatio extrinseca propter maiorem tenuitatem, & imbecillitatem, quam habet respectu sui termini, vel subiecti, potest saluari sine adhaerentia, vel inhaerentia cum sola habitudine, vel tendentia extrinseca respectu illius, & cum illo constituere extrinsecum concretivè; unde in forma negatur maior quoad vltimam partem in tota latitudine accidentis, ut diximus concessa prima parte illius maioris quoad modum intrinsecum, & substantiam, quia actio respectu agentis, modus extrinsecus est. Ad probationem illius iam responsum est cum distinctione de accidente extrinseco, & intrinseco.

Ad confirmationem negatur maior, quia esse visum non est aliquid in pariete, sed potius est concretum extrinsecum ex pariete, & ex forma extrinseca tendente in illud realiter, ex qua tendentia extrinsece denominatur paries in esse visum &c.

Ad primum argumentum secundae sententiae Thomistarum sic Respondetur. Distinguo maiorem, non sunt entia realia, hoc est, non dantur à parte rei carentia cum aptitudine, & sine illa in subiectis, id est, tales carentia non sunt verè sine fictione nego maiorem; non sunt entia, id est, non habent positivum esse reale, & entitatem perfectam positivam concedo. Ad